

5.
EX HISTORIA DIPLOMATICA
DISQUISITIO
HISTORICO - CRITICA.

Utrum GERMON temeritatis insimulari jure possit, quod celebre opus MABILLONII de re diplomatica ad examen revocarit?

§. I.

Drelo subjecerat MABILLONIUS vir in eruditorum catalogo praestantissimus opus suum *de re diplomatica* ab argumenti tum notitate, tum eruditione magnopere commendatum, quo traditas a Jesuita PAPEBROCHIO regulas, dijudicandi chartas, reformavit, arteque novam diplomata genuina a spuriis secernendi proposuit. a) Verum in eodem hoc opere, siquidem artes non simul, sed sensim & veluti per gradus ad perfectionem adducuntur, cum alia dubia, obscura alia, alia non satis firma viderentur GERMONIO viro in paucis eruditio, ipse novam hanc artem MABILLONII ad justae criseos trutinam revocavit, eamque edita eruditissima lucubratione *de veteribus Regum Francorum diplomatibus & arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis acriter impugnavit*. Mirum vero dictu est, quanto inde incendio bellum diplomaticum paulo ante consopitum denuo exardescere cooperit. Praeter MABILLONIUM insurrexere RUINARTIUS, FONTANINUS, LAZARIN, GATTI, aliquique MABILLONII defensores & amici, b) qui nota temeritatis configere GERMONIUM,

quod

a) Confer *introduc̄t. in rem diplomat.*, quam typis excusam DD. Auditoribus ad disputationem inaugurem nuper obtulimus. Cap. I. *de histor. rei diplomat.* §. VI.

b) 1) MABILLONIUS dedit *supplementum ad opus diplomaticum*, quid de illo senserit GERMON in illa disceptatione fuse exposuit. 2) THEOD. RUINARIUS scripsit *ecclesiam Parisensem vindica-*

quod opus MABILLONII a literatis cum plausu hactenus exceptum ad examen vocare ausus, atque in vulgus qua ore, qua calamo spar gere non dubitarunt, GERMONIUM praecipitantis ingenii & audacioris Virum, omnibus chartis sine discrimine negare fidem, toti antiquitati bellum indicere, hujusque Carthaginis everorem esse; quae quidem seu querelae, seu criminationes num jure an injuria in GERMONIUM fuerint conjectae, ex ipso GERMONIO ad quatuor concertationes praefationis loco critice disputabo. Verum vindicias pro GERMONIO dum scribere meditamus, non ita in ejus obsequium liberam mentem & calamum devincimus, ut ab eo subin dissentire piaculo nobis duceremus, nam sicuti sua GERMONIO, & iterum MABILLONIO sua, sic etiam nostra nobis placet opinio, prae fertim cum intellectus non autoritate, sed ratione vinci, fletique veritate debeat. Igitur de GERMONII temeritate primum sit.

§. II.

Et si GERMONIUS in disceptationibus suis nihil habuerit antiquius, quam ut causam, quam modestissime posset, & sine ulla cuiuspiam offensione pertractaret: quatuor tamen accusationis capita, sc. 1) autoritatem MABILLONII, 2) GERMONII eruditionem: 3) hu jus

dicatam. Paris. 1706., quam GERMON in disceptatione IIIta confutavit. 3) JUSTUS FONTANINUS in Romano Archigymnasio publicus eloquentiae Professor GERMONIO opposuit *vindicias veterum diplomatum.* Quo in pretio hae vindiciae sint habendae, GERMON disceptatione IVta exposuit, & in eo totus fuit, ut ostenderet, FONTANINUM MABILLONII defensorem esse minime idoneum, a) quia eum, quem confutare debuerat, non intellexit, & cum eo, quem defendebat, contentire neglexit, b) quia nec in

veteri historia investiganda diligens, nec in criticorum arte satis versatus, nec in secernendis veris diplomatibus sagax, nec in citandis priscis auctoribus fidelis. 4) LAZARIN ex nobilibus de Murro vulgavit *epistolam ad amicum Parisensem pro vindiciis antiquorum diplomatum,* item 5) ANTON GATTI *epistolam dedit pro vindiciis antiquorum diplomatum JUSTI FONTANINI.* Amstelodami. 1707. Ad utramque, quia non erat operae pretium, responsa GERMON brevi manu absolvit.

jus aetatem , ejusque 4) scribendi rationem esse intelligo , unde GERMONIUM temeritatis postulant adversarii. Ad singula maxima , qua possum , tum brevitate , tum modestia respondebo , ne , dum a nota temeritatis absolvere studeo GERMONIUM , ipsem et temeritatis reus severiorem aliorum criticam ac reprehensionem merito incurram.

§. III.

Primum accusationis caput dicit ab authoritate MABILLONII , & GERMONIUM temeritatis insimulat RUINARTIUS , quod impugnat celebre MABILLONII opus , quod omnium silentio jam a virginis & sex annis probatum videbatur . *a.* Evidem 1) in eruditorum subselliis non ignobilem locum obtinet MABILLONIUS , enimvero vir erat praecellentis ingenii , stupendi laboris , raraeque rei antiquariae eruditionis , talem etiam ipse GERMONIUS eum semper habuit , suisque in disceptationibus non semel praedicavit : *c)* tanta tamen viri ut ut eruditus authoritas non est , cui citra piaculum suspendere assensum , vel etiam suo loco contradicere eruditorum nemini liceret . *d)* Quodsi enim in republica literaria sola authoritate agendum , neque aliud quid cogitare , aut scribere liceret , quam quae Majores nostri ante nos cogitarunt , aut scripserunt , quas quae progresiones & incrementa fecissent scientiae atque artes , nonne , ut recte monet GENUENSIS , adhuc glandibus nobis vescendum , *E* arundine ob-

e) Inter complura alia GERMONII erga MABILLONIUM aestimationis ac veneracionis testimonia verba haec habe , quibus in sua disceptatione de arte antiqua diplom. vera a falsis secernendi de an. 1706. MABILLONIUM ita compellavit : *hoc saltem pro certo habe , me , et si tibi non assentiar in omnibus , omnino tamen consentire cum iis , qui te doctissimum virum praedicant , E* de literatorum homi-

num republica quam optime meritum.
Non igitur invidia , non odium in MABILLONIUM , aut spiritus quidam contradicendi , sed veritatis indagandae amor GERMONIUM ad scribendum impulit .

d) Etsi parta assiduo viginti annorum labore eruditio magnam conciliat MABILLONIO auctoritatem ; inde necdum consequitur , specimina ab ipso in suo opere allata esse hujusmodi , ut fidem per

oblonga equitandum fore? 2) Celebre MABILLONII opus laudant omnes, at vero differunt haec duo, MABILLONII opus laudare, & institutam ab eo artem in omnibus probare. Celebre MABILLONII opus laudant omnes propter auctoris ingenium, & multis laboribus emptam eruditionem; at traditas isto in opere regulas, judicandi vera & falsa diplomata, non item omnes probant. Ut alios prae-termittam, duos tantum adduco testes, quorum alter MOLINETUS vir celeberrimus, atque in his rebus versatissimus e congreg. S. Ge-novefae, alter GEORG. HICKESIUS apud Anglos magni nominis anti-quarius, quorum uterque in regulas MABILLONII severam criticam exercuit. Itaque licuit MOLINETO, licuit HICKESIO, quin & licuit ipse MABILLONIO regulas PAPEBROCHII discutere, examinare, con-demnare, cur GERMONIO non liceat, aut omnino nefas sit, super dubiis & obscuris, aut certe non usque adeo expeditis locis inter rogare MABILLONIUM, quem ipse non provocavit ut adversarium, quocum rixaretur, sed consuluit ut Magistrum, a quo erudiretur. Sane debent viri eruditи hanc veniam ultro nobis concedere, pro que cultu, quo illos prosequimur, id saltem officii rependere, ut ab iis, qui erudiri volunt, interrogari & consuli se finant, prae fertim super ea, quae minus solide asserta, vel dubia, vel ob scura & impedita sunt, novamque lucem explicationis requirere videntur.

§. IV.

Sed publico scripto consuluit, quem potius privato sermone adire decebat. R. Qui GERMONIO criminis vertunt, quod secreto non convenerit MABILLONIUM, ipsumque edito potius scripto compellarit, non satis perpendunt, quid jura permittant, & leges. Quos arcta seu amicitiae, seu societatis necessitudo conjunxit, violati officii rei sint, si alter alteri palam objecerit, quod potuisse in

aurem

per se, & sine ulla probatione facere possent aut deberent; imo cum MABILLONIUS ipse modeste fateatur, se errare potuisse, & in nonnullis etiam

errasse, agnoscat etiam RUINART. necesse est, dicta MABILLONII nec debe-re sine examine recipi, & posse etiam interdum sine injuria confutari.

aurem insusurrari. Sed ubi nullum intercedit ejusmodi vinculum, nihil vetat, quominus de arte, quam quis publice tradit, publice interrogetur. Hac enim conditione sunt scriptores omnes, etiam celeberrimi, ut quaecunque prelo commiserint, illa omnium iudicio & crisi permisisse censeantur. Hoc unum jure possunt exigere, ut, qui ipsos impugnant, ii charitatis, modestiae, atque urbanitatis limites non egrediantur. His autem religiose & ad decorum semper se continuit GERMONIUS; atque adeo non intelligo, quid sit, quod MABILLONII fervidi defensores GERMONIANAM agendi rationem reprehendant, eique quam nescio temeritatis, laesaeque authoritatis maculam aspergant.

§. V.

A lterum est GERMONII eruditio. In ipso vindiciarum suarum exordio RUINARTIUS scribit, GERMONIUM politioribus maxime literis instructum in celebre MABILLONII opus de re diplomatica insurrexisse. Quod quidem, dum hic RUINARTIUS, aliique ejus amici de GERMONIO ingerunt, non tam aliquam ei politioris literaturae laudem tribuere velle videntur, quam contemptum illi & invidiam conflare, quasi non alio, quam humaniorum literarum praefidio instructus ad disceptationes de MABILLONIANA arte componendas, gravissimamque hanc causam pertractandam accesserit. R. GERMONIUS literarum mansuetiorum peritia apprime tinctus, atque ad elegantiam ornatus erat; at vero caeterarum dotum ornamentis, quae ad crisin in hoc negotio rite ferendam pertinebant, minime caruit. Dum ipse disputationem primam adversus MABILLONIUM vulgavit, fluxerat annus vigesimus quartus, a quo magno suo bono, ut ipse refert, in societatem admissus fuit, ex his non nisi sex in literarum humaniorum cultura posuit, in quibus cum literis insigniter & forte ad invidiam profecisse suis adversariis videtur, non inde debent colligere nobiliora studia, magisque seria ab eo esse neglecta, enim vero rei antiquariae, artis criticae, rerum philosophicarum, & quae est testis temporum, historiae praesertim patriae, amplissimique Galliarum regni peritissimus erat. Luculen-

lenta eruditionis GERMONIANAE monumenta extant in ejus scriptis, ac lucubrationibus praesertim contra MABILLONIUM & ejus defensores in lucem datis, in quibus ex solidioris criticae regulis, vel ex scriptoribus coetaneis, aut ubi illi deerant, ex celebrioribus historiarum tabulis adversarium suum erudite simul ac jucunde exercuit. Haec ex ipso regii Censoris testimonio cum praestitit GERMONIUS, quis non miretur, homines, qui ejus vitae studiorumque rationem plane ignorabant, temere tamen & confidenter affirmare, GERMONIUM nonnisi humaniorum literarum levi armatura instructum in arenam contra MABILLONIUM descendisse. e)

§. VI.

Denum cum aliter non possunt, aetatem objiciunt GERMONIO, sc. hominem senem a GERMONIO juvenili ardore esse provocatum.
¶. Quis unquam sibi in animum induxit, non posse in arenam literariam procedere & duello congredi, nisi qui instrumento authentico capum se aut senem probasset? esto, juvenem non deceat in senem pacis amantem superbe & petulanter insurgere: attamen licet modeste examinare, atque etiam, si res ferat, confutare, quae vir olim, quamquam nunc emeritus senex, ad calatum dictavit. Aut forte RUINARTIUS credit, libros de re diplomatica, quia nonnisi post viginti annorum lectionem a MABILLONIO sunt compositi & vulgati, ab eo solummodo impugnari posse, qui totidem annos in eodem argumento fuerit versatus, vel etiam tot diplomata, tot chartularia, tot archiva, quot ille, viderit, & perlustraverit? Haec si RUINARTIUS, quid quaeſo dicit? annon etiam ille, qui priscorum temporum historias evolvit diligenter, & sedulo exploravit, poterit

cum

e) Esto, ad hoc ut diploma aliquod possit postulari falsi, non sufficient humaniores artes: at neque ad id requiritur, ut quis scrinia omnia & archiva scrutatus fuerit. Annon satis est, si coetaneorum Historicorum luculento testimonio instrumenti falsitas demonstre-

tur? Jam vero GERMONIUS cum in Historia Veterum fuerit versatissimus, quid quaeſo est, quod ipsi exprobrent, non aliis eum doctrinae adjumentis instructum, quam literis humanioribus, ad artem MABILLONII examinandam iusta que trutina ponderandam accessisse?

cum his instrumenta conferre, an cum illis consentiant, dispicere, & in diplomatibus, quae tanquam caeterorum norma exhibentur, naevum aliquem observare, atque adeo artem diplomaticam sine temeritate impugnare, licet in hoc studio non incanuerit senex. At qui simile quid, non plus suscepisse GERMONIUM existimo f). Non itaque aetas GERMONII, non sterilis numerus annorum, sed rationum firmitas, & argumentorum pondus, quo ille scripsit, in considerationem venire debent.

§. VII.

Quodsi tamen iadversariis placet annos considerare potius, quam argumenta ponderare, totidem forte numeravit annos GERMONIUS, quot habuit MABILLONIUS, dum hic libros de re diplomatica composuit. MABILLONIUS dum hos scripsit, annum agebat circiter quadragesimum quartum, atqui eadem currebat GERMONIO, dum primam disceptionem suam eidem opposuit. Quod RUINARTIUS de ardore juvenili addit, g) de eo GERMONIUS jure conqueritur, sibi inanem & malesartam criminationem impingi, atque id ipsum est, de quo quarto loco pauca dicam.

§. VIII.

Neque praecipitania mentis, vel juvenilis ardor, aut scriptionis quaedam acerbitas GERMONIUM temerarium facit. i) Non praecipitania mentis, nam nihil calamo temere commisit, sed singula ad

f) Audiamus ipsum GERMONIUM suae intentionis susceptique laboris optimum interpretem: *Ego tenuitatis meae conscientius, quod levissimum erat, hoc unum suscepi; nempe ut examinarem, an non irrepisset aliquid vitii in arte, quam institueras. At tu majorum virium, majoris animi gravissimo oneri humeros supposuisti, aggressus artem secernendi diplomata vera a falsis invenire, disceptionem.* IIda de veteribus Regum Francorum diplomatibus pagina 303.

g) Qui aetatem GERMONIO criminis veritit RUINARTIUS, quot quoero annos numeravit, cum ipse praefationem in GREGORII Turonensis opera vulgavit? pauciores fortasse, quam tunc numeravit GERMON, cum contra MABILLONIUM scripsit. Siquis ergo eruditus COINTII, quem impugnavit, vindicias scribens, ab editore fuisse ausu & ardore juvenili interturbatos optimi senis cineres exprobraret, nunquid rideret ipse vindicis imprudentiam, qui quadragenario multo majorem virum juvenem appellasset.

ad rectae rationis trutinam, regulasque criticae discussit; sane viro eruditissimo incogitanti nihil excidisse, satis loquuntur ejus opuscula, in quibus MABILLONIO, RUINARTIO, FONTANINO, LAZARINO, GATTI, aliisque calamo sat prompto atque eleganter docto ex aequo respondit. 2) *Non juvenilis ardor, aut scriptionis quaedam acerbitas*, quippe GERMONIUS ipsius argumenti odium, quantum in ipso fuit, lenivit verbis, & modo scribendi, multa, quae causam suam adjuvabant, ne MABILLONIO, cuius eruditionem magni semper fecerat, molestiam crearet, consulto reticuit, quae praeteriri non poterant, ejus arbitrio permisit, atque omnem operam dedit, ne quidpiam in medium afferret, quod eruditii adversarii exulcerare animum, & exasperare posset. Singularem GERMONII in scribendo comitatem & urbanitatem testatur RAGUET regius librorum censor, qui secundam ejus disceptationem studio perlegit, probavit, & modestiae GERMONIANAE publicum elogium scribere non dubitavit. h)

§. IX.

Taque 1) non authoritas MABILLONII, quam GERMON non laesit, 2) non defectus eruditionis, quae GERMONIUM prae aliis magnifice ornavit, non 3) ejus aetas, quae GERMONIO non defuit, & ad quam, si de bello literario quaestio redit, magnopere non attenditur, non demum 4) ratio scribendi, in qua servare decorum & modestiam stili omni conatu studuit, nil inquam horum improbat, vel accusat laudabiles conatus GERMONII, quare penes benevolum Lectorem reique cordatum arbitrum erit statuere, *utrum GERMON jure temeritatis insimulari possit, quod celebre opus MABILLONII de re diplomatica ad examen revocarit.*

h) En regii censoris verba damus: *jussu illustissimi Galliarum Cancellarii, de veteribus Regum Francorum diplomatis, & arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis, disceptationem secundam perlegi. Hujus auctor (GERMONIUS) rebus in investigandis sagax, in exponendis industrius mihi*

visus est; atque in iis praeferit locis, in quibus eruditum adversarium acris exerceat, Comis & Urbanus. Opus, antiqua diplomata, chartasque alias veteres discussuris, erit ipso suo arguento perutile; scriptoris autem modestia quibusve. Parisiis die 29 Januarii an. 1706. RAGUET.

EX HISTORIA PHILOSOPHICA.

INTRODUCT. IN HISTOR. PHILOSOPH. I. Quid historia Philosophica? II. Haec cum scientiis sublimioribus, puta, Theologia, jurisprudentia &c. nexus habet, utilis proin est & necessaria. III. Ad illam animo rite combibendam generatim requiritur studium Criticae, historia literaria, mens libera a praejudiciis antiquitatis, novitatis, authoritatis, praecepit antiae. IV. Speciem diligens fidei historicae atque verisimilitudinis secundum gradus & pondera examen; in dubiis non temere praestandus assensus, & sobrius interdum Pyrrhonismus adhibendus; tum etiam Philosophorum systemata rite sunt discutienda, atque ad particulares circumstantias auctorum & scriptorum v.g. temperamenti, patriae, educationis, fautorum sedulo respiciendum. V. Quinam praecepit historiae philosophicae scriptores? VI. Tota historia philosophica quatuor epochis non incongrue circumscrribitur, sc. epocha prima, Philosophiae incunabula, seu statum apud barbaros; secunda, ejus culturam apud Graecos; tertia ejus fata a tempore Romanorum usque ad literas restauratas; quarta ejus incrementum a restauracione literarum usque ad nostra tempora complebitur. HISTOR. PHILOSOPH. PERIODUS Ima VII. Philosophia est mundo coeva. VIII. Systematicae tamen Philosophiae genesis Graecorum industriae debemus. IX. Quae philosophia antediluviana, quae postdiluviana? quae Chaldaeorum, Persarum, Indorum, Aegyptiorum &c. explicabimus.

EX LOGICA.

I. Logica mentis nostrae actiones dirigit, animumque omnibus sciendi modis imbut, ut de rebus rite cogitemus, judicemus, atque etiam discurramus. II. Cum quid ita cognoscimus, ut ultra simplicem obtutum haud progrediamur, haec actio mentis idea dicitur. Has ut claras obtineamus, monet Logica, ut res cum aliis jam cognitis conferatur; ut non uno, sed quam fieri potest pluribus sensibus pertentetur; denique ut in perscrutandis rei affectionibus eo procedatur, dum ad eas pertingatur, quae radices sunt reliquarum. III. Termini sunt signa idearum, eorum affectiones sunt status, ampliatio, distractio, restrictio, & suppositio, quas dialektici paulo accuratori trutina merito expendunt. IV. Generatim ex subiecti signo, praedicato, sententiae peristasi terminorum acceptio discernenda est. Ad praecidendas hoc loco inutiles tricas, quas usque ad stomachum hic coacevant dialekticarum minutiarum nundinatores, respicere oportet ad sensum communem optimorum, receptumque vocabulorum usum seu optimum magistrum. V. Doctrinam de vocabulorum usu, abusu, fontibus errorum eorumque remediiis leges item formanda honae definitionis, divisionis explicabimus. VI. Subiectum commune affectum signo universali omnis vel nullus accipitur distributive. VII. Quodsi particula omnis idem significet ac totus vel universus non est signum universale. VIII. Subiectum commune affectum signo particulari accipitur disjunctive, vel disjunctim. IX. Indefinitum in materia necessaria, item in materia juris, fidei seu dogmatica distribuitur. In materia vero contingenti ordinarie disjungitur. X. Subiectum singulare equivalenter distribuitur. XI. Praedicatum propositionis affirmativa ordinarie supponit disjunctive, negativa distributive. XII. Ad veritatem propositionis cuiuscunque sufficit, & requiritur ea dari, & eo modo dari, quae & quo modo dari propositio enuntiat. XIII. Hinc ad veritatem propositionis affirmativa in materia necessaria non opus est subiectum & praedicatum absolute existere, sed sufficit, quod idem sint inter se in sensu hypothetico. XIV. In materia

teria

teria contingentia requiritur existentia realis subjecti & praedicati, & idem dicitas rectorum. XV. Copulativa ut sit vera, exigit singula membra vera, ad veritatem disjunctivae sufficit unius membra veritas.

EX RE DIPLOMATICA.

EX HISTOR. REI DIPLOMAT. I. Quae rei diplomaticae utilitas, & diplomatica tum antiquitas? II. Publica negotia gravioris momenti apud Romanos in tabulas aereas relata sunt, pauca horum fragmenta supersunt. III. Germania magis foecunda plura exhibet diplomata, quae causae? IV. Circa finem seculi XV. quidam diplomatum neglegit invaluit. V. Circa finem seculi XVI. rei diplomaticae serenior lux affulgit, hujus occasio. VI. Primus, qui rem diplomaticam rite tractare aggressus est, fuit PAPEBROCHIUS Jesuita Antwerpensis, occasionem praebente colloquio cum ALEXANDRO VII. Pontifice. VII. Quae merita MABILLONII, quae hujus cum PAPEBROCHIO diffidia? VIII. Quomodo bellum diplomaticum per Jesuitam GERMONIUM denuo restauratum? IX. Quae rei diplomaticae inde ad nostra usque tempora auspiciatissima incrementa? EX NOTITIA REI DIPLOMAT. LITERARIA. X. Triplex classis scriptorum de re diplomatica occurrit, prima illorum, qui tum de diplomatum fide, & authentia universim, tum de pluribus capitibus speciatim scripserunt. XI. Classem alteram constituant, qui artem diplomaticam ipsi concinnarunt, vel saltem in eandem magis excolendam incubuerunt. XII. In tertia classe veniunt illi, qui diplomata collegerunt, aut forte complexi historiam copiosis eam manuscriptis & diplomaticis locupletarunt, ex triplici hoc scriptorum classe praecipuos recensemus. EX PRAENOTIONIBUS AD ART. DIPLOM. XIII. Unde origo nominis diploma? XIV. Quae diplomatum divisio, praesertim quae autographa, quae apographa, quae authentica, quae vagae? XV. Quid nominis Chartae pariclae, pariculae, quid partitae, & indentatae? XVI. Quid Chartularia, antiquaria, regesta, transumpta, diplomaticaria? XVII. Unde regulae diplomata genuina a spuriis secernendi? XVIII. Quae notae in & externae diplomatum?

QUAE PRO DISPUTATIONE MENSTRUA I.

DEFENDENT

INGENUI AC ERUDITI
JOANN. FRANCISCUS MOLITOR, Edesheimensis s. c. c.
GEORGII JOSEPHUS ALLGAYER, Erfweileranus

PHILOSOPHIAE IN ANNUM PRIMUM AUDITORES.

OPPUGNABUNT

ILLISTRIS AC PERERUDITUS DOMINUS

D. JOANN. NICOLAUS DE STENGEL,
MANNEHEIMENSIS

PHILOSOPH. BACCAL. UTRIUSQUE PHYSIC. ET MATHE. AUDITOR S. C. C.

ET INGENUI AC ERUDITI
ADAMUS AMAND. MUNDORFF Steinensis. s. c. c. }
CLAUDIUS FRANC. MOUBILY Landaviensis. }

Philosophiae in
annum primum
auditores.

Heidelbergae in aula academica 17 Februarii horis consuetis 1777.

etiam con-
reitorum.
tem disju-

Ex His
tum a
tabulas aer
magis foeci
XV. quida
plomaticae
cam rite tra
fionem pree
MABILLON
diplomaticu
plomaticae
REI DIPLO
occurrit, pr
tum de plurib
qui artem di
incubuerunt.
complexi hist
triplici hoc se
ART. DIPLO
diviso, pree
vaga? XV.
tatae? XVI.
XVII. Unde r
tae in. & exi

PRO
JOANN. F
GEORG
PHIL.

D. JOA
PHILOSOPH.

ADAMUS A
CLAUDIUS
Heid

teria con-
reitorum.
tem disju-

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



TICA.

maticae utilitas, & diploma-
is momenti apud Romanos in
a supersunt. III. Germania
usae? IV. Circa finem seculi
circa finem seculi. XVI. rei di-
Primus, qui rem diplomati-
Jesuita Antwerpensis, occa-
Pontifice. VII. Quae merita
tia? VIII. Quomodo bellum
uratum? IX. Quae rei di-
a incrementa? EX NOTITIA
criptorum de re diplomatica
te, & authentia universim,
Classem alteram constituant,
in eandem magis excolendam
tomata collegerunt, aut forte
omatibus locupletarunt, ex
EX PRAENOTIONIBUS AD
? XIV. Quae diplomatum
a, quae authentica, quae
, quid partitae, & inden-
transumpta, diplomataria?
nendi? XVIII. Quae no-

INSTRU A I.

TI
lesheimensis s. c. c.
, Erfweileranus
AUDITORES.

MINUS
SIENGEL,

ES. AUDITOR S. C. C.
TI
S.C.C. } Philosophiae in
IS. } annum primum
auditores.
actis 1777.